

PONTIFICIA COMMISSIO
CODICI IURIS CANONICI
AUTHENTICE INTERPRETANDO

COMMUNICATIONES

VOL. XIX - N. 2

1987

COMMUNICATIONES

PONTIFICIA COMMISSIONE CODICI IURIS
CANONICI AUTHENTICE INTERPRETANDO

PIAZZA PIO XII, 10 - 00193 ROMA

N. 2

Semestrale

DECEMBRI 1987

Spediz. Abb. Postale - Gruppo IV - 70%

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

Litterae Apostolicae motu proprio datae, quibus iuris canonici iudicialis ratio in Civitate Vaticana ad recentiores Iuris Canonici leges accommodantur, <i>Quo civium iura</i>	155
Litterae Apostolicae motu proprio datae, quibus Tribunal Appellationis apud Vicariatum Urbis constituitur, <i>Sollicita cura</i>	158

ALLOCUTIONES

Ex allocutione Summi Pontificis ad Episcopos Civitatum Foederatarum Americae Septentrionalis occasione oblata itineris apostolici	162
Allocutio Summi Pontificis eos, qui conventui nationali studii ab « Unione Giuristi Cattolici Italiani » celebrato interfuerunt, coram admissos	169
Ex allocutione Summi Pontificis eos, qui conventui circa « Il diritto alla vita e l'Europa » Romae celebrato interfuerunt, coram admissos	172

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

SECRETARIUS STATUS	
« Legge che approva l'Ordinamento giudiziario dello Stato della Città del Vaticano »	174

CONGREGATIO PRO CULTU DIVINO

Ex Epistula qua in mentem quaedam normae quoad « Concerti nelle Chiese » revocantur	179
---	-----

EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

I. Coetus studiorum recognoscendis Normis Generalibus Codicis (Sessio V)	182
II. Coetus studiorum « De Magisterio ecclesiastico » (Sessio I)	221

ACTA COMMISSIONIS

Responsa ad proposita dubia	261
---------------------------------------	-----

DOCUMENTA

Synthesis generalis laboris Pontificiae Commissionis Codici Iuris Canonici Recognoscendo	262
Novae Bibliothecae apparandae propositum et opera	309
Opera a Bibliotheca Commissionis recepta	310
Index Rerum Generalis	315

II

COETUS STUDIORUM
DE MAGISTERIO ECCLESIASTICO

Sessio I

(diebus 23 januarii ad 28 januarii 1967 habita)

Diebus 23 ad 28 januarii 1967, in aula Sedis Commissionis C.I.C. Recognoscendo, convenerunt Consultores designati ut membra coetus studiorum ad recognoscendas normas C.I.C. « de magisterio ecclesiastico ». Conventibus intererant quinque Consultores, idest: Exc.mi Vincentius Enrique y Tarancón, Petrus Palazzini, Rev.mi Otto Semmelroth, Vincentius C. T. Che, P. Berutti, Rev.mus W. Onclin, Commissionis Secretarius Adiunctus, qui munere praesidis fungebatur, atque Rev.mus Nicolaus Pavoni, adiutor a studiis, qui actuarii munere fungebatur.

Quaestiones quas in hoc studiorum coetu tractandas proposuit Commissionis secretaria sequentibus verbis enuntiatae sunt: « quaenam sint recognoscenda, scilicet addenda, supprimenda aut mutanda: 1) in normis generalibus de Magisterio Ecclesiastico (cann. 1322-1326); 2) in normis de divini Verbi praedicatione (cann. 1327-1351) ».

Relationem de quaestionibus positis confecit Exc.mus quidam Consultor atque votum de iisdem exaraverunt quinque clarissimi Consultores.

Conventus 1º

(die 23 ian. 1967, h. 9,30)

NORMAE GENERALES DE MAGISTERIO ECCLESIASTICO

(cann. 1322-1326)

Quaestionem introducit Rev.mus Secretarius Ad., declarans in ordine ad recognoscendam legislationem de magisterio ecclesiastico sequentia esse attendenda:

« Ante omnia ponenda videtur quaestio quaedam, quam praeiudicialem vocare possumus, quaestio scilicet quam magna cum prudentia

movet Rev.mus quidam Consultor; scilicet: utrum in novo C.I.C. notiones et principia doctrinalia enuntianda sint, in casu principia doctrinalia de Magisterio ecclesiastico, an e contra novus Codex solas disciplinaires normas complecti debeat, omissis principiis quae indolem doctrinalem habent ».

Ad mentem quidem Rev.mi memorati Consultoris, principia doctrinalia quaedam etiam in novo C.I.C. referri posse videntur, sed addit « nisi Commissio Pontifica C.I.C. Recognoscendo statuerit ut ex regula generali in novo C.I.C. notiones et principia doctrinalia numquam commemorentur ».

« De generali hac quaestione nec Commissio Pontifica Cardinalium nec Consilium de laboribus coordinandis in sinu huius Commissionis erectum regulam sequendam hucusque statuit. In dicto Consilio coordinationis laborum iam posita est quaestio haec utrum novus Codex completam legislationem ad particularia etiam descendantem continere debeat, an e contra sola principia disciplinaria generalia complecti debeat, relictis dispositionibus magis particularibus legislationi singularum Ecclesiarum particularium, aut diversarum regionum ecclesiasticarum. Quaestionem non iam diremit Consilium coordinationis, cuius tamen membra non pauca inclinant in alteram solutionem, cuius ratione novus C.I.C. sola principia generaliora enuntiare debeat, relicta earundem determinatione Conferentiis episcopalibus diversarum regionum ecclesiasticarum.

Sed haec questio diversa est ab ea quam movet supramemoratus Rev.mus Consultor, qui quidem implicite saltem, ponit quaestionem: utrum C.I.C. principia etiam doctrinalia referre debeat, an sola principia disciplinaria.

Ipse Rev.mus Secretarius Ad. de hac quaestione profert suam sententiam:

1. Necessae videtur ut praecipua principia doctrinalia enuntientur in novo Codice: haec principia sunt fundamentum theologicum regularum disciplinarium et rationes praebent ipsius disciplinae; iam autem hodie praesertim breviter saltem indicari debent rationes ob quas regulae disciplinaires statuuntur; quae rationes sunt necessario tradendae ut normae disciplinaires rationabiles et acceptabiles appareant et insimul ut normae disciplinaires debite declarari valeant.

2. Sola principia doctrinalia enuntianda sunt ea quae ad intelli-

gentiam normarum disciplinarium requiruntur et quae efficient ut legislatio appareat ut aliquid unum sibi cohaerens.

3. Principia haec doctrinalia enuntiari debent quae sunt inconcussa, praesertim attenta doctrina in Concilio Vaticano II proposita; sed Commissionis C.I.C. recognoscendo non est quaestiones theologicas, quibus Concilium non tradidit certam doctrinam vel noluit certas tradere normas, dirimere.

Hisce dictis, rogit Rev.mus Secretarius Ad. ut unusquisque de hac fundamentali quaestione mentem suam aperiat.

* * *

Circa quaesitum a Rev.mo Secretario Ad. propositum utrum C.I.C. referre debeat principia doctrinalia an sola principia disciplinaria Exc.mus quidam Consultor affirmat Codicem referre summatim debere tantummodo principia doctrinalia certa.

Idem affirms alter Exc.mus Consultor, quia iam in vetere Codice haec principia habentur ad legis explicationem. Notandum autem est quod in nova legislatione habebitur Codex fundamentalis, in quo principia doctrinalia sat ample tractabuntur. Deinde circa quaesitum utrum legislatio generica tantum an etiam particularis esse debeat, unitatem legislationis strenue defendit contra opinionem eorum qui legislationem aliquam nationalem exoptant.

Est etiam Rev.mus Consultor qui suam concordantiam declarat circa principia doctrinalia in C.I.C.

Item, adhuc alter Consultor qui illa tantum principia doctrinalia admittenda esse in Codice quae cum legislatione intimam relationem habeant affirmat.

Adsunt denique duo Consultores qui concordant et autumant Codicem non esse Theologiae tractatum.

1. *Prima questio: Titulus huius partis Codicis*

Rev.mus Secretarius Ad. sequentia explanat et proponit:

« Notat Rev.mus Consultor in hoc canone et in aliis sequentibus quaestionem esse de Magisterio Ecclesiae, i.e. de hierarchia magisterii ut ita dicam. Ex altera parte, ait, quae dicuntur in can. 1322 § 1, valent etiam de tota Ecclesia, ut apparet ex Const. dogmatica *Lumen*

gentium, n. 12, in quo affirmatur: "Universitas fidelium, qui unctionem habeat a Sancto, in credendo falli nequit, atque hanc suam peculiarem proprietatem mediante supernaturali sensu fidei totius populi manifestat, cum 'ab Episcopis usque ad extremos laicos fideles' universalem suum consensum de rebus fidei et morum exhibet...".

Videtur tamen titulum conservari posse, imo et canonis 1322 § 1 principium recte intelligi, si postea de magisterio quod etiam a tota Ecclesia exercetur distincta quaestio fit ». Proponit igitur ut titulus maneat, et ut transitus fiat ad textum canonis 1322 § 1.

Ad mentem cuiusdam Ill.mi Consultoris, tota materia haec « de magisterio ecclesiastico » substantialiter recognosci debet, attentis declarationibus Const. *Lumen gentium*, nn. 19 et 25; *Dei verbum*, n. 10; Decret. *Presbyterorum Ordinis*, n. 2; et *Inter mirifica*, nn. 3 et 13.

Requiritur, iuxta eundem, praecisa determinatio organorum qui in Ecclesia participant « ex natura rei » aut « ex ordinatione Ecclesiae » functionem Magisterii et in specie requiritur:

a) ut ambitus Magisterii ecclesiastici definiatur, eius competentia circa « revelata » et circa « pracepta iuris naturalis »; item vis obligandi;

b) ut subiecta Magisterii activa determinentur, scil. quinam illud exerceant « iure divino » (*Hierarchia*) et « iure ecclesiastico » (*organa S. Sedis, Conferentiarum Episcopalium, Curiae dioecesanae, etc.*).

Attamen, dicit Rev.mus Secretarius Ad. nulla in Codice quaestio theologica dirimi potest. Legislatoris non est quaestiones theologicas dirimere – non debet facere opus theologi, sed praesertim legislatoris, supposita doctrina theologica certa et ab Ecclesia declarata.

Insuper subiecta activa determinari valent in canonibus sequentibus, in quantum possibile et utile sit.

Exc.mus Consultor locutionem « *Populus Christianus* » sensu tantum passivo intendit.

At Rev.mus alter Consultor eandem locutionem etiam activo sensu intendit et opinatur verba canonis mutanda esse.

Est Rev.mus Consultor qui concordat cum opinione Secretarii adjuncti.

2. *Can. 1322 § 1*

Ill.mus Secretarius Ad. exponit varias opiniones circa hunc canonem in votis a consultoribus expressas:

« 1. Verba huius canonis servanda esse uti iacent, proponunt duo Consultores, addita inter fontes canonis Const. dogm. *Dei verbum*, n. 1 ss.

2. Item verba canonis servanda proponit Exc.mus Consultor, tamen aestimans verba “ut... *custodiret... exponeret*” esse mutanda tempore praesenti “ut custodiat... exponat”, quae magis Ecclesiae magisterium “actuale demonstrant...”. Sed latinitatis ratio imperfectum ex postulare videtur.

3. Rev.mus Consultor est qui aliam formulam proponit “Christus Dominus fidei depositum Ecclesiae concredidit sancte *custodiendum* et fideliter exponendum, *Spiritu Sancto iugiter assistente*”.

Servari potest textus Codicis – aut forma *praesens* ».

In dissertatione orali quattuor Consultores proponunt ut textus servetur uti est.

Secundum quemdam Rev.dum Consultorem in verbis textus permanet periculum identificandi ipsam Ecclesiam cum Magisterio, et propterea suggerit addendam esse sententiam ad probandam quaestionem esse de Magisterio, nempe de Hierarchia.

Exc.mus Consultor nihil mutandum esse opinatur, quia vocabulum « Ecclesia » comprehendit ipsum Romanum Pontificem una cum fidelibus.

Rev.mus Consultor qui supra, instat, rogans ut fiat additio ex qua appareat quod in his canonibus sermo est de Magisterio.

Rev.mus Secretarius Ad. hanc additionem in alio canone faciendam proponit.

3. *Can. 1322 § 2*

1) Ad primam partem huius §, Rev.mus Secretarius Ad. sequentibus verbis exponit varias opiniones circa hunc canonem a Consultoribus in votis expressas.

1. Ad mentem Rev.mi alicuius Consultoris, *omitti* potest § 2, cuius assertio implicite comprehenditur in § 1 – dum altera pars ad can. 1351 remitti potest.

2. Alii vero servant textum § 2, saltem partem 1.am – et videtur utile, hodie praesertim, ut hoc munus Magisterii declaretur uti independens a qualibet humana potestate.

a) Ideo textum § 2 servandum proponit Exc.mus Consultor, additis in fontibus Const. *Lumen gentium*, n. 14, et Decr. *Unitatis redintegratio*, n. 2.

b) Censem alter Exc.mus Consultor loco verborum « a qualibet civili potestate » ponenda esse verba « a qualibet humana potestate », et servandam esse solam primam partem canonis, dum altera ad § 3 remitteretur, sed mutata.

c) Aestimat Rev.mus Consultor supprimenda esse verba « independenter a qualibet civili potestate », quia « Ecclesia ne suum munus docendi quidem sine omni (ullo) respectu ad civilem potestatem exercere potest ».

Animadvertisit autem Rev.mus Secretarius Ad. non idem esse ius et exercitium iuris, et proponit ut servetur affirmatio « independenter a qualibet *humana* potestate ».

Consentient omnes.

Ast Rev.mus Consultor qui supra proponit ut invertantur verba « ius et officium » et dicatur « officium et ius », quia revera officium est fundamentum iuris et ideo de officio mentio fieri debet prius quam de iure.

Idem affirms Rev.mus Secretarius Ad.

Sed est Rev.mus Consultor qui nihil mutandum esse proponit quia agitur de independentia.

Idem affirms duo Exc.mi Consultores, propter rationem psychologicam.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit hanc formulam:

« Ecclesiae officium est et ius, independenter a qualibet humana potestate, omnes gentes evangelicam doctrinam docendi ».

Omnes concordant.

2) Ad alteram partem § 2 huius canonis 1322, Rev.mus Secretarius Ad. sententias in votis Consultorum expressas ita exponit:

« Ad alteram partem huius § 2 quod attinet:

a) proponit Rev.mus quidam Consultor ut ad can. 1351 remittatur;

b) proponit Exc.mus alias Consultor ut § 3 addatur canoni cuius textus: “Evangelicam doctrinam rite ediscere veramque Ecclesiam Dei amplecti omnes per se lege tenentur” (textus § 2 altera pars) nemo

tamen hominum, cum libertas religiosa sive personalis, sive cuiusvis populi omnibus sit agnoscenda ac aestimanda, cumque tandem Fides sit donum Dei, ut Ecclesiam amplectetur cogendus est » (Declar. *Dignitatis humanae*). Assertio admitti potest, sed textus videtur aliquantulum implicatus.

c) Rev.mus Consultor textum § 3 proponit uti habetur in Declaratione *Dignitatis humanae*: « Homines cuncti tenentur veritatem, praesertim in iis quae Deum eiusque Ecclesiam respiciunt, querere, eamque cognitam amplecti ac servare ».

Iuxta Exc.mum Consultorem propositio ab alio Exc.mo Consultore facta placet in sua substantia, sed clarioribus verbis est enuntianda.

Iuxta Rev.mum Secretarium Ad. addenda videtur non § 3, sed conficiendus est novus canon, quia non agitur de Ecclesia in altera parte, sed de obligatione hominum recipiendi doctrinam Ecclesiae.

Conveniut cum Rev.mo Secretario Ad. de novo canone conficiendo quinque clarissimi Consultores.

Circa textum propositum, est Rev.mus Consultor qui putat melius esse verbum « *querere* » quam « *ediscere* »: nam agitur di veritate salutari.

Iuxta Exc.mum Consultorem vocabulum « *omnes* » non convenit, quia agitur de baptizatis. E contra Rev.mus Secretarius Ad. censet principium affirmandum esse de omnibus hominibus, non tantum baptizatis; et cum eo consentit alter Consultor.

Demum Rev.mus Secretarius Ad. hunc textum proponit:

« Cum omnes homines veritatem in iis quae Deum eiusque Ecclesiam respiciunt querere teneantur, veritatem evangelicam veramque Dei Ecclesiam quam cognoscant, lege divina amplecti ac servare tenentur (vel obligentur) ».

Omnes concordant ut hic textus, saltem provvisorie, admittatur.

4. *Can. 1323 § 1*

Exponit Rev.mus Secretarius Ad. varias sententias scripto propositas:

« 1. Textus servandus uti est in canone, secundum quattuor Consultores; est tamen inter eosdem qui putat addendam esse novam paragraphum vel novum canonem circa adhaesionem fidelium doctrinae propositae ope Magisterii ordinarii in Ecclesia.

2. Iuxta Rev.mum quendam Consultorem in hoc canone in primis statui debet fide divina et catholica credenda esse quae proponit fides universalis Ecclesiae (quae est fundamentum, in quo positum Magisterium Ecclesiae hodie munus suum exercet. Nam Magisterium Ecclesiae docet ea quae ab Ecclesia creduntur ».

Insuper arguit Rev.mus Secretarius Ad.: « poni poster quaestio utrum in canone formula servari debeat uti est “credenda sunt quae Verbo Dei scripto vel tradito continentur”. Noluit Concilium dirimere quaestionem de uno vel duplice fonte. Sed cum in Const. *Dei verbum* locutio habeatur, n. 10 “Munus autem authentice interpretandi verbum Dei scriptum vel traditum soli vivo Ecclesiae Magisterio concreditum est” – sed in nota ad Const. *Dei verbum* remitti debet, nn. 9-10, ut verba illa intelligentur uti in dicta Constitutione habentur, in n. 9 de relatione inter S. Scripturam et Traditionem (cfr. item Const. *Lumen gentium*, n. 25) ».

Rev.mus Secretarius Ad. proponit sequentem formulam canonis:
 « Fide divina et catholica ea omnia credenda sunt quae verbo Dei scripto vel tradito, tamquam uno fidei deposito Ecclesiae commisso, continentur quaeque ab Ecclesiae Magisterio sive sollemni sive ordinario et universaliter uti divinitus revelata credenda proponuntur » (cfr. Const. dogm. *Dei verbum*, n. 10, collato etiam n. 9).

Omnibus membris placet textus.

5. *Can. 1323 § 2*

Sententias in scriptis datas iterum exponit Secretarius adjunctus:
 « Retinendam esse § 2 uti est censem clarissimi tres Consultores.

Iuxta Rev.mum quendam Consultorem hoc modo mutandus est textus: “tum Romani Pontificis ex cathedra loquentis tum Collegii Episcoporum definitive docentis”. Ratio est, quia, ut appareat ex Constitutione *Lumen gentium*, Collegium Episcoporum, etiamsi non sit in Concilio congregatum, doctrinam fidei definire potest ».

Rev.mus Secretarius Ad. proponit sequentes mutationes: « Sollempne huiusmodi iudicium pronuntiare valet tum Collegium Episcoporum suam sententiam tamquam definitive tenendam enuntians, tum Romanus Pontifex ex cathedra loquens » (cfr. *Lumen gentium*, n. 25, al. 2).

Quaestio est utrum remanere debent vocabula « sollempne iudicium » tum pro Collegio Episcoporum in Concilio Oecumenico, tum pro Romano Pontifice ex cathedra loquente.

Est Rev.mus Consultor qui affirmative respondit.

Iuxta Exc.mum Consultorem non est necessarium adiungere « Collegium Episcoporum »; nam Concilium Oecumenicum comprehendit ipsum Collegium Episcoporum. Non sunt mutanda vel adiungenda verba sine necessitate, et Collegium Episcoporum non est contraponendum Concilio Oecumenico.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit hanc novam formulam:

« Magisterium sollemni modo exercent tum Collegium Episcoporum in Concilio Oecumenico, tum... etc. ».

Est Exc.mus Consultor qui concordat cum Rev.mo Secretario Ad. et proponit verba ipsius Constitutionis *Lumen gentium*, n. 22: « *Suprema in universam Ecclesiam potestas, qua istud Collegium pollet, sollemni modo in Concilio Oecumenico exercetur* ».

At est Rev.mus Consultor qui concordat cum altero Exc.mo Consultore et affirms non esse necessarium adiungere in canone verba « Collegium Episcoporum », quia Collegium Episcoporum comprehensum est in Concilio Oecumenico.

Quattuor Consultores consentiunt verba « Collegium Episcoporum » canoni adiungenda esse, quia additio haec est conformis doctrinae Constitutionis *Lumen gentium*.

Contrarii sunt Exc.mus Consultor cum socio.

Idem Exc.mus Consultor rogat ut annotetur explicite se non consentire. Deinde proponit ut dicatur: « Coetus Episcoporum una cum Romano Pontifice... ». Haec verba non placent cuidam Rev.mo Consultori; nam — ait — esset periculosa confusio, quasi dubium insurgeret de unitate inter Episcoporum Collegium et Romanum Pontificem.

Admittitur insuper ut in nota remittatur ad Constit. *Lumen gentium* et ad notam praeviam, n. 3.

6. Can. 1323 § 3

1. Servandus proponitur textus uti est a tribus claris Consultoribus.

2. Ab Exc.mo Consultore qui supra proponitur: « Nulla veritas intelligitur declarata, seu definita, nisi id manifeste constiterit ». Magis claram aestimat propositionem – (addi potest: « Nulla veritas dogmatice declarata seu definita intelligitur, nisi id manifeste constiterit »).

Omnes concordant ut textus uti est servetur.

7. Can. 1324

1. *Pars Prima*: Duo Consultores proponunt textum retinendum esse uti est.

E contra, sunt etiam duo Consultores qui proponunt formam magis

cautam, seu mitiorem, ut respondeat decreto Concilii « De Oecumenismo ».

Est Exc.mus Consultor qui putat mutandam esse locutionem: « haereticam pravitatem », propter allusionem his verbis ad fratres separatos.

Quaestio tamen est utrum verbum « Haeresis » mutandum sit.

Alter Exc.mus Consultor vult servare verbum quia habet consecratio etiam in iure poenali.

Prior Exc.mus Consultor concordat cum secundo quoad substantiam, sed verba illa « pravitas haeretica » non approbat.

Rev.mus Secretarius Ad. affirms quod non est necessarium in hoc canone loqui de haeresi.

Cum eo concordant Rev.mi duo Consultores.

At, adest Rev.mus Consultor qui tenet hic vel alibi de haeresi loquendum esse.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit hanc novam formulam:

« Cum eis quae ab Ecclesia tamquam de fide divina et catholica credendis fidei obsequio adhaerendum sit, tenentur omnes quascumque devitare doctrinas iisdem contrarias, immo et eas quae cum doctrina catholica non congruunt ».

Ista formula placet omnibus.

2. *Pars secunda*: Quattuor Consultores proponunt servandum esse textum uti est.

Est Rev.mus Consultor qui proponit ut pars secunda canonis affirmet etiam necessitatem religiose adhaerendi decretis proprii Episcopi et textum proponit ut sequitur: « In rebus fidei et morum non solum evitanda est haeresis sed etiam errores ad illam plus minusve accedentes: quare fideles suo Episcopo docenti religioso animi obsequio adhaerere debent, singulari vero ratione Constitutionibus, decretis aliisque actis Sedis Apostolicae ».

Iuxta Rev.mum Secretarium Ad. hoc modo proponi potest ista pars canonis: « Quare omnes religioso animi obsequio obsecundare tenentur constitutionibus et decretis quos ad veram doctrinam declarandam erroresque contra eas serpentes denunciandos dederint Apostolica Sedes aut proprius Episcopus ».

Iuxta Exc.mum Consultorem melius est servare tantum partem negativam et positivam omittere.

Notat alter Exc.mus Consultor de interno animi obsequio canonem nihil statuere posse, quia legislator non valet actus internos regere.

Iuxta Rev.mum Consultorem melius est facere duas paragraphos, quarum una negativam, altera positivam partem comprehendat.

Iuxta alium Rev.mum Consultorem in hoc canone non tantum Episcopus proprius, sed etiam Conferentiae Episcopales nominari debent, quippe quae hodie in quibusdam potestatem habeant.

Rev.mus Secretarius Ad. a estimat melius esse ut canon tantum de « Episcopo proprio » et non de « Conferentiis Episcoporum » statuat, quia Conferentiae Episcoporum potestatem non habent in omnibus materiis, sed in certis tantum. Deinde proponit textum:

« Quare omnes debent etiam constitutiones et decreta servare quibus erroneae opiniones proscriptibit aut prohibet proprius Episcopus speciali vero ratione quae edit Apostolica Sedes ».

Omnes concordant et Rev.mus Secretarius Ad. promittit novam perfectiorem redactionem huius partis canonis, quae in *Appendice* habetur.

Conventus 2º

(die 23 ian. 1967, h. 17)

8. *Quaestio de libertate religiosa*

Iuxta Exc.mum Consultorem in hoc loco praeciso affirmari debetur ius ad libertatem religiosam.

Contra, est Consultor qui ait quod iam aliquid de libertate religiosa habetur in canone 1322.

Est Exc.mus Consultor qui proponit textum can. 1351 « Ad amplexandam fidem catholicam nemo invitus cogatur ».

Iuxta Rev.mum quandam Consultorem novus canon 1322 bis faciens est.

Rev.mus Secretarius Ad. ita proponit can. 1322 bis:

« Ad amplectendam fidem catholicam a nemine umquam homines contra propriam conscientiam coactione adduci possunt ».

Consentient omnes textum admitti posse, sed ut normam can. 1322 bis.

9. *Can. 1325 § 1*

Duo Consultores proponunt textum servandum esse uti est.

Exc.mus Consultor censet textum servandum esse, sed addita norma agendi christifidelium iuxta doctrinam de Oecumenismo, de dialogo oecumenico (ex Decr. *Unitatis redintegratio*, in 8 ss.).

Iuxta Rev.mum quendam Consultorem convenit adhibere formulam magis positivam, ex. gr.: « Fideles debent fidem suam profiteri ».

Iuxta vero alterum Rev.mum Consultorem imprimis affirmetur aspectus positivus fidei professionis, et sit textus § 1: « Fideles se praebant fortes in fide et nuntium Christi et testimonio vitae et verbo proferant ». Idem Consultor proponit ut textus § 1 canonis, uti est in Codice, servetur in § 2.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit textum hunc:

« Christifideles fidem semper vitae testimonio atque verbo profiteri tenentur, et cavere debent ne umquam eorum silentium, tergiversatio aut ratio agendi implicite secumferant fidei negationem, religionis contemptum, Dei iniuriam aut aliorum scandalum ».

Est Rev.mus Consultor qui affirms quod canon 1325 § 1 non est necessarius.

Consentit Exc.mus Consultor, aestimans quaedam de hac materia statui posse ubi de professione fidei agitur.

Idem affirms alter Exc.mus Consultor, qui praeferit quod haec norma remittatur ad *directorium*.

Omnis consentiunt cum opinione huius novissimi Consultoris.

10. *Can. 1325 § 2*

Iuxta duos claros Consultores textus retinendus est uti est: Nam, ait unus ex iisdem, « hic non agitur de poenis ecclesiasticis, quibus Ecclesia usque adhuc huius generis peccatores prosecuta est, sed tantum de stabilienda terminologia, quam iuste “classicam” vocare possumus. Ubi vero poenae statuentur contra Fidem aberrantes (can. 2324 ss.), sicuti etiam ubi determinabitur modus agendi pastoralis erga eos, forte alias sermo est instaurandus (non autem hic) ».

Iuxta Exc.mum Consultorem, terminologia, uti est in hoc canone, servari non potest. Requiritur ut sit magis consona cum dialogo oecumenico. Aestimat non esse necessarios illos terminos, quibus discrimen statuitur inter diversas figurae; et si servandum est discrimen, adhibeantur locutiones, uti sunt in Const. *Lumen gentium*, n. 15.

Idem sentit alter Consultor, iuxta quem omissio notionum apostatae, haeretici et schismatici minime aequivalet negationi exsistentiae conditionis spiritualis talium errantium. Cum agatur de re ipsa solis luce clariore et ab omnibus admissa, nulla videtur esse necessitas mentionem faciendi de istis notionibus. Itaque ipse proponit aliud textum: « Omnes, sive singuli, sive in communitatibus seu Ecclesiis coadunati,

si in Christum credunt et baptismum rite receperunt, sed ab Ecclesia catholica tum in re doctrinali et disciplinari tum circa structuram Ecclesiae seiuncti sunt, a fidelibus Ecclesiae Catholicae ut fratres in Domino agnoscantur et christiano nomine decorantur ».

Quaestio est, iuxta Rev.mum Secretarium Ad., utrum retinenda sit illa terminologia ex. gr. « haereticus – schismaticus ».

Est Exc.mus Consultor qui denuo adfirmat illam terminologiam servandam esse ne confusio oriatur. Haec terminologia in fontibus theologis et in iure semper servata est. Attendenda sunt etiam futura consequentia. Quomodo vocabitur in Ecclesia schisma, quod forte oriaretur?

Iuxta alterum Consultorem, quando loquimur de haeretico, intelligere debemus haereticum formalem, non eos qui sunt bona fide.

Exc.mus Consultor qui supra replicat quod in Codice necessarium est servare notionem « haeresis ».

Cum isto Exc.mo Consultore concordat et alter Exc.mus, sed suggerit adiungere in textu vocabula « temerarie atque pertinaciter ».

Iuxta vero Rev.mum Consultorem qui contrariam sententiam tenet, omittenda est illa terminologia, ut vitentur difficultates.

Aestimat Rev.mus alter Consultor locutiones esse emendandas, ita ut fratres seiuncti non offendantur.

Proponit itaque Exc.mus Consultor ut sermo fiat non de « haereticis, schismaticis », sed de « haeresi, schismate », ita ut non nominentur personae.

Rev.mus Secretarius Ad. insistit quod semper mala fides evidens esse debet in haeresi et proponit novum textum, quem die sequenti communicat Consultoribus sequentibus verbis:

« *Can. 1325.* Dicitur haeresis, pertinax, post receptum baptismum, alicuius veritatis fide divina et catholica credendae denegatio aut de eadem dubitatio; apostasia fidei christiana ex toto repudiatio; schisma, subiectionis Summo Pontifici aut communicationis cum Ecclesiae membris eidem subditis detrectatio. Haeresis, apostasiae aut schismatis rei non sunt nisi qui mala fide talia admiserint ».

Omnes de hoc textu consentiunt.

Conventus 3º

(die 24 ian. 1967, h. 9,30)

11. *Can. 1325 § 3*

1. Conveniunt pleraque membra huius coetus in admittendo textum § 3 esse mutandum et in eo mentionem esse faciendam necessitatis dialogi: ita duo Rev.mi Consultores.

2. Proponit textum pro §§ 3 et 4 Exc.mus primus Consultor.

3. Alium textum proponit Rev.mus secundus Consultor.

4. Tres §§ proponit, vel diversos canones, tertius Rev.mus Consultor.

5. Rev.mus quidam Consultor censem sermonem esse faciendum de normis a Conferentiis Episcopalibus statuendis circa dialogum cum acatholici.

Rev.mus Secretarius Ad. legit textum in tribus paragraphis a quodam Rev.mo Consultore propositum, qui potest haberi uti fons novi canonis 1325:

Can. 1325 ter propositus est: « Sedis Apostolicae est promovere et dirigere "motum oecumenicum", activitates et incepta ad christianorum unitatem fovendam suscitando et ordinando; Conferentiae vero Episcopales, pro variis necessitatibus et opportunitatibus circumstantiarum normas practicas statuant ».

Can. 1325 quater, est: « Ordinarius loci curam habeat ut idonei clerici et laici utriusque sexus rite praeparentur ad dialogum cum fratribus seiunctis fructuose ineundum et indesinenter vigilent ut omnia incepta et activitates ad oecumenismum pertinentia prudenter et patienter perficiantur ».

Can. 1325 quinques, est: « Publicae precationes "pro Unitate" indictae promoveantur, praesertim in quibusdam peculiaribus rerum adiunctis, inter catholicos, etiam una cum acatholicis convenientes. Insuper cooperatio in re sociali ubique terrarum instauretur ».

Omnis concordant cum ideis expressis, sed putant formam recognoscendam esse.

a) Circa can. 1325 ter, omnes consentiunt de hoc textu a Rev.mo Secretario Ad. confecto:

« Sedis Apostolicae imprimis est promovere et dirigere "motum oecu-

menicum" quem vocant, actiones et incepta ad christianam unitatem fovendam suscitando et ordinando. Conferentiarum Episcopalium item est eadem promovere atque pro variis adiunctorum necessitatibus vel opportunitatibus, normas practicas statuere ».

b) Canon 1325 quater, iuxta Rev.mum quendam Consultorem, omitti potest.

Aestimant vero duo Exc.mi Consultores hunc canonem non necessarium, sed convenientem esse, sed inseri posse in Directorio.

Omnes denique concordes sunt ut omittatur.

c) Can. 1325 *quinquies*: est Exc.mus Consultor et Rev.mus Secretarius Ad. qui concordant ut prima pars huius canonis servetur, altera autem pars in directorio mittatur.

Rev.mus Secretarium Ad. proponit textum:

« Publicae precationes pro christianorum unitate inter catholicos etiam cum non catholicis convenientes foveantur, praesertim in quibusdam peculiaribus adiunctis, servatis normis ab Episcoporum Conferentiis statutis ».

Omnes consentiunt.

12. *Can. 1326*

1. Retineri potest textus: sic concordant clarissimi quattuor Consultores. (Iuxta Exc.mum Consultorem ex iisdem addatur inter fontes Const. *Lumen gentium*, n. 25).

2. Ad mentem Rev.mi cuiusdam Consultoris, « sermo fieri debet de modo quo sacerdotes et alii missione canonica praediti participes fiunt muneris docendi, ita ut una ex parte vere eorum status positive eluceat, et altera ex parte differentia ostendatur, qua distinguitur eorum status a statu Episcopi ». Functio theologorum etiam determinanda est.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit hunc textum:

« Episcopi quoque, licet singuli vel etiam in Conciliis particularibus aut Conferentiis congregati infallibilitate docendi non polleant, fidelium tamen suis curis commissorum, sub auctoritate Romani Pontificis, veri fidei sunt doctores seu magistri ».

Omnes consentiunt.

DE VERBI DEI PRAEDICATIONE

1. *Divisio tituli*

Exponit Rev.mus Secretarius Ad. animadversiones scripto factas:

« 1. Merito, ut videtur, notat Rev.mus quidam Consultor, divisionem tituli non esse convenientem.

a) Videndum est utrum expediat ut caput separatum, et quidem primum sub hoc titulo, agat de activitate missionali in Ecclesia. Decretum *Ad gentes* causam missionariam in Ecclesia novo vigore munivit, ita ut multae normae iamiam promulgatae (*AAS* 58, 783-787), facta debita selectione, in Codicem transire possint, addito principio actuositatis missionariae ex Const. *Lumen gentium*, n. 17. In hodierno Codice adest lacuna, quae quidem est sananda.

b) Quae in cann. 1350-1351 habentur, non sufficient, et insuper afferunt confusionem inter missiones externas et missiones internas (ita etiam Rev.mus alter Consultor).

c) Melius est ut supprimatur cap. III (de missionibus internis), et ut solus canon remanens ponatur sub titulo de sacris concionibus.

2. Proponitur ergo ut de divisione tituli agatur.

In hac divisione attendi debet etiam animadversio facta ab alio Rev.mo Consultore, iuxta quem caput "de sacris concionibus" praemitti debet capiti "de catechetica institutione"; nam praedicatio Verbi divini in Concilii Constitutione de S. Liturgia primo loco tamquam praedicatio liturgica apparet.

3. Proponitur tandem ab Exc.mo Consultore ut novum addatur caput "de liturgica institutione", in quo recoluntur prout in Const. *Sacrosanctum Concilium*, n. 19, 35, 1 et 3 et 42; Instr. *Ad exsequendam...*, 19, et Const. *Dei Verbum*, n. 21 ».

Omnes consentiunt de hoc titulo generali: « De divini Verbi ministerio ». Qui titulus in tria capita dividetur.

2. *Can. 1327 § 1*

1. Retinetur uti iacet iuxta mentem duorum Consultorum.

2. Alii autem mutationem quandam aestimant necessariam, quia sermo fieri debet de sollicitudine universi *Collegii Episcoporum* circa evan-

gelizationem mundi, ita ut locutio « Episcopi pro suis dioecesibus nimis restricta esse videatur » (ita unus e Consultoribus); dici aliquid debet de collegiali exercitio praedicationis evangelicae et de munere praedicandi, quod etiam Conferentiae Episcoporum exerceant (iuxta alterum Consultorem); et proponitur textus mutatus a quodam Rev.mo Consultore.

Iuxta quandam Rev.mum Consultorem initium esse debet: « Inter praecipua Episcoporum munera eminet praedicatio Evangelii ».

Rev.mus Secretarius Ad. tunc textum proponit:

« § 1. Inter praecipua Episcoporum munera eminet praedicatio Evangelii. Episcopi, sollicitudinis omnium Ecclesiarum participes, in communione et sub auctoritate Summi Pontificis, hoc magisterium exercent omnes uniti in Collegio seu corpore quoad universam Ecclesiam (Const. *Lumen gentium*, n. 25; Decr. *Christus Dominus*, n. 3).

§ 2. Pro universa Ecclesia munus christiani nominis propagandi singulari modo Romano Pontifici, Petri successori, demandatum est (cfr. *Lumen gentium*, n. 23).

§ 3. Illud munus exercent Episcopi singuli, quoad assignatas sibi dominici gregis partes, unusquisque pro Ecclesia particulari sibi commissa, aut quandoque aliqui coniunctum necessitatibus quibusdam diversarum Ecclesiarum communibus providentes, ad normam sacrorum canonum (cfr. Decr. *Christus Dominus*, n. 3) ».

Omnes consentiunt.

3. Can. 1327 § 2

1. Retineri potest uti est, iuxta Rev.mum quandam Consultorem.

2. Textus mutati proponuntur ab uno Exc.mo Consultore et etiam ab altero Exc.mo Consultore, item aestimans inter viros idoneos, de quibus canon, adnumerandos esse religiosos, membra Institutorum saecularium, et laicos (*Christus Dominus*, nn. 11-12, et 30, n. 1; *Ad gentes*, n. 6). Etiam Rev.mus Consultor est qui ad decretum *Christus Dominus* provocat et proponit textum. Insuper proponit Exc.mus qui supra ut deleantur verba de Episcopis « nisi legitimo prohibeantur impedimento », quia patet per se.

3. Ad mentem cuiusdam Consultoris, sermo hic fieri debet de iis quae dicuntur in decreto *Presbyterorum Ordinis*, art. 4, scilicet: ministerium verbi esse primum ministerium presbyterorum; insuper addendi sunt diaconi, quorum munus praedicandi in Const. *Lumen gentium*, n. 29

statuitur... Tandem, vitari debet impressio praedicationem esse restrictam ad viros, et non extendi ad mulieres.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit novum canonem 1327 bis:

« § 1. Episcopi officio Evangelium annuntiandi per se ipsi tenentur.

§ 2. Presbyteri, utpote Episcoporum cooperatores, primum habent officium Evangelium Dei annuntiandi; praesertim hoc officio tenentur, quoad gregem sibi commissum, parochi aliisque quibus cura animarum concreditur. Diaconorum etiam est in diaconia verbi Populo Dei, in communione cum Episcopo eiusque presbyterio, inservire.

§ 3. In hoc munere adimplendo, Episcopi insuper in auxilium sibi assumere debent religiosos atque idoneos laicos, utriusque sexus, eos praesertim qui Institutis saecularibus sunt adscripti ».

Omnis consentiunt.

4. *Can. 1328*

1. Retinendus, uti est: ita aestimant quattuor clarissimi Consultores.

2. Magis determinandus est: scilicet determinari debet quaenam sit praedicatio ad quam missio canonica requiritur. Nam possunt haberri modi allocationum religiosarum, quae sine canonica missione fieri possunt: ita quidam Consultor. Instat ut dicatur missionem requiri ut « ministerium » exerceatur.

Rev.mus Secretarius Ad. novum textum proponit:

« Nemini licet quodvis ministerium Verbum Dei annuntiandi exercere, nisi a legitimo Superiore missionem receperit, sive facultate peculiariter data sive officio collato cui ex sacris canonibus hoc munus inhaereat ».

Tandem, omnibus consentientibus, admittitur propositio Exc.mi cuiusdam Consultoris, secundum quam inserendus est novus canon, qui enuntiet textum Decr. *Christus Dominus*, n. 13. Hic canon ponendus est ante canonem 1328.

Conventus 4°

(die 25 ian. 1967, h. 9,30)

5. *Ordo Capitum*

Proponitur a Rev.mo Secretario Ad., quocum omnes conveniunt, ut Caput I sit: De verbi divini praedicatione, utque sub hoc capite habeant

tur praescripta quae in Codice statuuntur sub Capite II: de sacris concionibus, additis etiam praescriptis de institutione liturgica et de missionibus internis (can. 1349).

Consentient autem etiam omnes ut in praesenti deliberatione servetur ordo Codicis, atque ideo ut primo loco agatur « de catechetica institutione »; quae tamen postea obiectum erit Capitis II.

CAPUT I

DE CATECHETICA INSTITUTIONE

Provisorie, ut dictum est, catechetica institutio consideratur in Cap. I, sed post confectos textus, transfertur sub Capite II.

6. *Can. 1329*

Textus Codicis retinendus proponitur a duobus Consultoribus.

Duo vero Exc.mi Consultores affirmant textum mutandum esse.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit novum textum:

« Proprium et gravissimum officium sacrorum ministrorum, praesertim animarum pastorum, est catecheticam populi christiani institutionem curare ».

Consultores non acceptant variationes et malunt textum uti est.

Est Exc.mus Consultor qui adderet § 2 et § 3, ut in voto suo scripsit, sed alii Consultores consentiunt Ill.mo Secretario Ad., qui postea rem considerandam proponit, aestimans in uno textu omnia simul enuntiari posse. Textus postea admittitur, qui in *Appendice* habetur ut can. 1331.

7. *Cann. 1330-1336*

Aestimat Rev.mus Consultor quod quae dicuntur in cann. 1330-1336 videntur relinquenda Conferentiis Episcoporum. Ipse in voto affirmat: « quod multa ex iis, quae hic dicuntur, res tam singulares sunt, ut melius relinquantur Conferentiis Episcoporum variarum regionum, non autem in C.I.C. Universae Ecclesiae regulentur ».

Alter Rev.mus Consultor scribit in voto canonem 1336 praemittendum esse post canonem 1329 et praescripta particularia cann. 1330, 1331, 1333 ex Codice esse expungenda, quia alia et alia aptiora praescripta plerumque statuenda sunt ob peculiaris locorum et temporum

adiuncta in paroeciis urbanis vel ruralibus vel montanis, iuxta directoria pastoralia quae pro singulis dioecesis sunt conficienda.

Iuxta Rev.mum Consultorem canones 1330-1336 retinendi sunt uti sonant, aliquibus mutationibus inductis in cann. 1333-1336.

At Exc.mi duo Consultores retinent canones et proponunt mutationes pro singulis.

Videtur Rev.mo Secretario Ad. can. 1336 immediate post can. 1329 ponendum esse.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ergo ut textus canonis 1336 fiat can. 1330 et ita mutetur:

« Servatis normis a Conferentiis Episcoporum statutis, Ordinarii loci est omnia in propria dioecesi edicere, quae ad populum in christiana doctrina instituendum spectent. Quae quidem praescripta omnes servare tenentur etiam religiosi exempti, quoties non exemptos docent ».

Omnes concordant.

8. *Canon 1330 qui fit 1337*

Quaedam mutanda proponuntur in votis a primo Exc.mo Consultore, pro § 1, et ab altero Exc.mo etiam pro § 1, relicto textu § 2.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit hunc textum:

« Conferentiarum Episcoporum est pro suo territorio directoria conficere catechetica in quibus statuuntur principia primaria ad eiusdem institutionem et ordinationem atque librorum ad catechesim pertinen- tium elaborationem spectantes ».

Exc.mus Consultor est qui proponit adjunctionem verborum « collatis consiliis a Sede Apostolica » ad evitandos errores in catechismo. Ipse Exc.mus proponit ut textus catechismi adprobacioni Sanctae Sedi, antequam typis mandantur, proponatur.

At, iuxta Rev.mum quandam Consultorem stricta obligatio induci non potest de subiiciendo textu Sanctae Sedi.

Iuxta Rev.mum Secretarium Ad. inopportuna haberi potest talis obligatio, quae involvit diffidentiam erga Episcopos.

Rev.mus Secretarius Ad. promittit se novam formulam propositum; quae in *Appendice* habetur sub can. 1332.

9. *Can. 1331*

Textum uti est retinendum proponunt Exc.mi duo Consultores, qui addunt parochum subsidiarie adiuvari posse actione docentium scholarum catholicarum infra terminos suaे paroeciae forte exsistentium.

Rev.mus Secretarius Ad. novam formam canonis se conjecturum promittit; quae habetur in *Appendice*, sub. can. 1334.

10. *Can. 1332*

Iuxta Exc.mum Consultorem retinenda est dispositio, propter momentum catechesis adulorum, sed non potest statui ut fiat diebus dominicis et festis de pracepto. Norma non erit efficax nisi affirmetur ius Ordinarii invigilandi. Can. 1332 uti est non applicatur.

Alter Exc.mus proponit aliam mutationem, addens: « ... diebus dominicis et festis de pracepto vel aliis suo iudicio magis aptis ad populi frequentiam; insuper parochum catechismum fidelibus adultis, sermone vel "dialogo" vel aliis communicationum mediis ad eorum captum accommodatis, explicare, aut in Ecclesia aut in alio decenti loco ».

Iuxta Rex.mum Consultorem « Magis congruum videtur si, suppresso textu vigentis can. 1332, novus textus in eius loco ponatur, in quo referuntur praescripta quae de homilia statuuntur in n. 53 et n. 54 Instructionis ad executionem Constitutionis De Sacra Liturgia recte ordinandam ».

Rev.mus Secretarius Ad. censem praescripta de homilia esse tradenda in Capite de praedicatione, non vero in Capite tractante de catechetica institutione, et dicit se textum praeparasse pro variis canonibus, de quibus iam disceptatum est. Addit quod etiam de officio parentum sermo fieri debet, et de hoc officio etiam proponit textum, qui habetur sub can. 1335 infra citato.

Tandem proponit Rev.mus Secretarius Ad. ut in canone finali affirmetur necessitas curandi ut catechistae rite praeparentur. Quod omnes admittunt.

Textus igitur submittuntur iudicio membrorum coetus.

CAPUT II DE CATECHETICA INSTITUTIONE

Can. 1331

« Proprium et gravissimum officium, pastorum praesertim animarum, est catechetica populi christiani curare institutionem, ut fidelium fides, per doctrinam illustrata, viva sit atque explicita et operosa (cfr. Decr. *Christus Dominus*, n. 14) ».

Omnes approbant.

Can. 1332

« Conferentiarum Episcoporum, votis suis cum Apostolica Sede comunicatis, est pro suo cuiusque territorio normas in Directorio catechetico statuere fundamentales (praecipuas) ad catecheticam puerorum, iuvenum atque adultorum institutionem ordinandam, itemque curare ut libri ad eandem institutionem spectantes rite elaborentur ».

Consentient omnes.

Can. 1333

« Servatis normis ab Episcoporum Conferentia statutis, Episcopi dioecesani insuper praescripta edicere tenentur, quae ad populum in doctrina christiana instituendum spectant. Quae quidem praescripta omnes servare obligantur, religiosi quoque, etiam exempti, quoties ad non exemptos docendos operam praestant ».

Placet omnibus.

Can. 1334

« § 1. Parochi, vi muneric sui, religiosam institutionem puerorum, iuvenum et adultorum tenentur, et in hoc munere explendo operam adhibere debent clericorum in paroecia degentium, imprimis presbyterorum et diaconorum, religiosorum atque etiam piorum laicorum, viorum et mulierum, illorum potissimum qui alicui Instituto saeculari aut pio Doctrinae christiana sodalitio sunt adscripti (cfr. Conc. Vat. II, Const. dogm. *Lumen gentium*, nn. 28, 29; Decr. *Christus Dominus*, n. 30).

§ 2. Presbyteri, diaconi aliique clerci, nullo legitimo impedimento detenti, proprio parocho in hoc sanctissimo opere auxilium praestare tenentur.

§ 3. Religiosi quoque, viri ac mulieres, itemque qui Instituto saeculari adscripti sunt, ad catecheticam institutionem populo tradendam libenti animo cooperari debent. Superiores religiosi, etiam exempti, et rectores Institutorum saecularium, tenentur per se vel per suos subditos populo christiano catecheticam institutionem tradere (cfr. Conc. Vat. II, Decr. *Christus Dominus*, n. 15, 1°).

§ 4. Alii etiam fideles, viri ac mulieres, sufficienti doctrina qui praediti sunt, libenter ad hanc institutionem curandam adiutricem operam praestent ».

Can. 1335

« Parentes, quippe qui praecipui filiorum sint educatores, itemque qui eorum locum tenent atque patrini obligatione tenentur curandi ut pueri sibi subiecti vel commendati catechetica institutione debite erudiantur » (cfr. Conc. Vat. II, Declar. *Gravissimum educationis*, n. 3).

Concordant omnes.

Can. 1336

« Attentis normis ab Episcoporum Conferentia statutis, Episcopi dioecesani est de catechetica institutione tradenda:

1º normas statuere ut singulis annis pueri ad sacramenta poenitentiae et confirmationis suscipienda utque ad SS. Eucharistiam primo recipiendam rite praeparentur;

2º praescripta item statuere ut iuvenes qui primam Communionem receperint uberius ac perfectius in doctrina christiana excolantur;

3º normas etiam edere ut, ratione eorum conditioni accommodata, provideatur catecheticae institutioni adulorum, et in specie ut qui nuptias ineundas intendant in doctrina de matrimonii sanctitate deque coniugum et parentum obligationibus debite erudiantur ».

Concordant omnes.

Can. 1337

« Institutio catechetica innitatur oportet S. Scriptura, Traditione, Liturgia, Magisterio vitaque Ecclesiae, et tradatur omnibus adhibitis auxiliis, subsidiis didacticis et communicationis mediis, quae efficaciora videntur ut fideles, ratione eorum indoli, facultatibus et aetati necnon vitae condicionibus aptata, plenius religionis doctrinam ediscere eamque aptius in proxim deducere valeant » (cfr. Conc. Vat. II, Decr. *Christus Dominus*, n. 14).

Concordant omnes.

Can. 1338

« Curent locorum Ordinarii ut qui ad catechetica institutionem tradendam mittantur, ad munus suum rite exemplendum debite praeparentur, ut nempe Ecclesiae doctrinam apte cognoscant atque normas scientiae psychologicae et disciplinis paedagogicis proprias theoretice ac practice addiscant » (cfr. Conc. Vat. II, Decr. *Christus Dominus*, n. 14).

Concordant omnes.

CAPUT I
DE VERBI DEI PRAEDICATIONE

Titulus Capitis II (quod in C.I.C. est Caput I) admittitur ab omnibus membris coetus. Deinde variae quaestiones a Rev.mo Secretario Ad. proponuntur, iuxta ordinem qui sequitur.

1. *Quaestio praeiudicialis: de momento predicationis*

In voto scripto animadvertisit Rev.mus Consultor pauca dicenda esse de momento praedicationis, iuxta doctrinam Concilii Vaticani II.

Quapropter praescriptum in Codice inserendum proponit Ill.mus Secretarius Ad., quod ita enuntiari potest:

« Cum Dei populus primum coadunetur verbo Dei vivi, quod ex ore sacerdotum omnino fas est requirere, munus praedicationis magni habere debent Christi ministri, quippe quorum prius officium sit Evangelium Dei omnibus evangelizandi » (cfr. Conc. Vat. II, Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 4).

Textus propositus ab omnibus admittitur.

Deinde, iuxta ordinem canonum in Codice, varia praescripta de praedicatione considerantur.

2. *Canon 1337 Codicis*

Iuxta can. 1337 Codicis, solius Ordinarii est facultatem praedicandi pro suo territorio concedere tum clericis saecularibus tum religiosis non exemptis.

In voto scripto Exc.mus Consultor proponit ut addantur verba « facultates praedicandi vel doctrinam christianam publice explanandi » atque ut affirmetur hanc facultatem esse etiam necessariam ut praedicare possint laici (cfr. Const. *Lumen gentium*, n. 33).

In eadem sententia est alter Exc.mus Consultor, quia laici possunt habere facultatem praedicandi vel doctrinam explanandi.

Textum servandum esse uti est in Codice proponunt Rev.mi duo Consultores, dum tertius Consultor proponit ut servetur textus can. 1337 Codicis, dempta prima parte, i.e. ablatis verbis « Tum clericis... religiosis non exemptis ».

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut textus canonis, quem parabit, postea iterum iudicio membrorum subiiciatur. De quo omnes consentiunt.

Conventus 5^o
(Die 26 ian. 1967, h. 9,30)

3. Canon 1338 Codicis

Iuxta Exc.mum Consultorem hic canon prouti est remanere debet, mentione autem facta Institutorum saecularium, post religiones laicales.

Rev.mus alter Consultor proponit ut hic canon transferatur ad ius religiosorum. Agitur, enim, de re disciplinari intra ambitum religionum.

Tertius Exc.mus Consultor proponit ut in § 3 canonis, post verbum « laicalis » addantur verba sequentia: « vel Institutorum saecularium ».

Ad mentem Rev.mi Consultoris in § 1 canonis, supprimi potest conditio de necessaria idoneitate.

Rev.mus Secretarius Ad. promittit se textum novum paraturum; qui textus habetur in fine capitisi.

4. Can. 1339 Codicis

Iuxta quattuor Rev.mos Consultores, servari potest textus canonis, uti est in Codice.

Censem vero Rev.mus Secretarius Ad. quaedam esse mutanda, v.g. verbum « Praedicatoribus » esse adhibendum loco verbi « Concionatoribus », in § 2, et insuper canonem esse in forma breviori redigendum; proponit igitur textum breviorem, qui infra citatur (sub novo canone 1342).

5. Can. 1340 Codicis

Deliberatione facta, conveniunt membra coetus canonem ad unam paragraphum reduci posse et breviori forma esse exprimendam normam canonis. Quapropter Rev.mus Secretarius Ad. formam huius canonis proponit ut sequitur:

« Locorum Ordinarii aut Superiores religiosi competentes facultatem aut licentiam praedicandi ne concedant nisi illis qui sunt moribus probi et qui sufficienti doctrina gaudere probati sunt per examen ad normam can. 877 § 1. Concessam semel facultatem aut licentiam sine gravi causa ne denegent ».

Quem textum omnes approbant. Textus § 3 Codicis can. 1340 fit nunc § 2.

6. *Can. 1341 Codicis*

Aestimat Exc.mus Consultor textum canonis remanere posse uti est.

Ad § 1, de sacerdotibus extraneis, animadvertisit Rev.mus quidam Consultor difficultatem adesse et hanc normam sat rigidam difficulter servari posse, propter mobilitatem.

Ad § 2 notat Exc.mus alter Consultor regulam esse admittendam, iuxta quam praevalent semper iura parochi, nisi agatur de functionibus stricte capitularibus vel confraternitati propriis: requiritur norma certa, quae omne dubium tollit.

Proponit Rev.mus Consultor qui supra, ut omnes determinationes in his normis datae remittantur ad Conferentias Episcoporum.

Rogatur Rev.mus Secretarius Ad. ut conficiat textum de hac norma in hoc sensu quod Conferentiae Episcoporum regulas statuere debent quoad sacerdotes extraneos.

7. *Can. 1342 Codicis*

Agitur in hoc canone de facultate praedicandi quae diaconis et ceteris clericis dari potest et de prohibitione ne laici in ecclesia praedicent.

Ad § 1: ad mentem duorum Exc.morum Consultorum, servari potest textus, dum, de sententia Rev.mi alterius Consultoris, verba de ceteris clericis supprimi possunt. At, Rev.mus Consultor est qui contrarius est huic propositioni, quia hodie etiam alii clericci, immo et laici possunt Liturgiam verbi exercere in casibus necessitatis.

Ad § 2: proponit Exc.mus Consultor ut omittatur. Sed, proponit Rev.mus Secretarius Ad. ut dicatur laicos non posse praedicare nisi in casibus necessitatis, iuxta praescripta Conferentiarum Episcoporum. Hanc propositionem admittunt omnes. Eiusdem canonis textum postea proponet Rev.mus Secretarius Ad.

8. *Can. 1343 Codicis*

Agitur in canone de iure praedicandi Episcopis concesso pro suo territorio.

Notat vero Rev.mus Secretarius Ad. iura Episcoporum in hac materia esse hodie definita per Motu Proprio *Pastorale munus*; cuius igitur praescripta sunt in Codice inserenda: Hodie Episcopi, etiam titulares, ubique praedicandi habent facultatem. Distingui autem debet, iuxta Rev.mum Secretarium Ad., inter facultatem et licentiam: habent

quidem facultatem et licentiam, nisi haec licentia ipsis in casu particulari ab Episcopo dioecesano denegetur. Proponit ut § 2 supprimatur.

Omnes consentiunt, et Rev.mus Secretarius Ad. postea proponet textum canonis.

9. *Can. 1344 et 1345 Codicis*

Omnes convenient praescripta quae continentur in his canonibus esse aptanda doctrinae Concilii Vat. II de homilia habenda.

1. Proponit Exc.mus Consultor ut in § 1 huius canonis affirmetur principium in quo asseritur homiliam esse partem Liturgiae.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit textum sequentem: « Inter prædicationis formas eminet homilia, quippe quae pars sit ipsius Liturgiae; in eadem per anni liturgici cursum ex textu sacro fidei mysteria et normae vitae christianaæ exponuntur » (Conc. Vat. II, Const. *Sacrosanctum Concilium*, n. 52).

Omnes assentiunt.

2. Conveniunt etiam omnes admittendam esse propositionem a Rev.mo Secretario Ad. factam, secundum quam in § 2 affirmando est obligatio homiliam habendi in diebus dominicis et festis de præcepto, iuxta praescripta Conc. Vat. II (Const. *Sacrosanctum Concilium*, n. 52).

3. Item convenient cum propositione ab eodem facta de inserenda in § 3 commendatione habendi homiliam etiam tempore Adventus et Quadragesimæ, et quoties habetur celebratio cum concursu populi.

4. Tandem convenient cum propositione ut in § statuatur obligatio parochi curandi ut haec praescripta religiose observentur.

Tandem omnes consentiunt praescripta can. 1345 Codicis iam in novo canone 1344 (qui fiet 1347) contineri et ideo supprimi posse canonem Codicis 1345.

Rogatur Rev.mus Secretarius Ad. ut novum textum canonis conficiat.

10. *Can. 1346 Codicis*

Consentiunt omnes cum propositione ab Ill.mo Secretario Ad. facta, scilicet ut Conferentiis Episcoporum commitatur praescripta statuere de prædicationibus habendis tempore Quadragesimæ et Adventus, quia adiuncta et morem in diversis regionibus differunt.

Quapropter proponit Rev.mus Secretarius Ad. textum sequentem:

« Episcoporum Conferentiarum est praeterea normas statuere de praedicationibus habendis tempore Quadragesimae vel Adventus, aut etiam aliis temporibus vel occasionibus, in quibus id iuxta rerum adiuncta opportunum videatur ».

Omnis consentiunt de textu proposito.

11. *Can. 1347 Codicis*

Agitur in canone de iis quae praedicari debent et de iis quae in praedicatione vitari debent.

Aestimat Rev.mus Consultor totum canonem supprimi posse, quia non praebet normam iuridicam, sed pastoralem.

Censet autem Exc.mus alter Consultor aliquod praescriptum requiri de obiecto praedicationis, et proponit ut breviter ea in canone praescribantur, quae habentur in Decr. *Christus Dominus*, n. 12. Consentiunt alii cum propositione a praedicto Exc.mo Consultore facta et rogatur Rev.mus Secretarius Ad. ut textum componat. Textus postea propositus a Rev.mo Secretario Ad. habetur in *Appendice*, sub can. 1349.

12. *Can. 1348 Codicis*

In canone 1348 Codicis affirmatur obligatio monendi fideles ut praedicationibus intersint.

Omnis concordes sunt in admittendo hoc praescriptum pertinere ad aliam Codicis partem, scilicet ubi de officiis pastorum agitur; insuper monentur qui assistunt.

Quaestionem autem movet Rev.mus Secretarius Ad. utrum de modo praedicationis non sit introducendum praescriptum, ad normam Decr. *Christus Dominus*, n. 13.

Secundum Exc.mum Consultorem tale praescriptum est indolis potius pastoralis et inseri non debet.

De sententia Rev.mi Consultoris praescriptum huiusmodi potius statui potest uti de institutione clericorum. Alii vero opinantur, cum Rev.mo Secretario Ad., illud ad materiam de praedicatione pertinere. Quapropter consentiunt ut a Rev.mo Secretario Ad. proponatur textus in quo breviter affirmentur praescripta quae habentur in dicto Decreto *Christus Dominus*, n. 13. Qui textus postea approbatur ab omnibus et habetur in *Appendice*, sub can. 1350.

13. *Can. 1349 Codicis*

Agitur de missionibus internis quas vocant ordinandis. Concordant omnes in una paragrapto affirmandam esse ordinationem illarum missionum, iuxta praescripta Conferentiarum Episcoporum. Consentunt etiam eas aliis nominibus vocari posse, secundum consuetudinem locorum, et ideo generalem terminologiam in canone esse adhibendam.

Quapropter approbatur textus a Rev.mo Secretario Ad. propositus: « Parochi, etiam religiosi, certis temporibus, iuxta Episcoporum Conferentiarum praescripta, illas ordinant praedicationes, exercitia spiritualia missionesve quas vocant, quibus nempe integra christiana doctrina quantum possibile sit fidelibus exponit ».

14. *Quaestio de spiritu missionali in praedicatione*

Rogat Exc.mus Consultor ut quoddam habeatur praescriptum de verbo Dei nuntiando etiam eis qui non frequentant, vel ordinarie non frequentant liturgicas celebrationes, et arguit paroeciam concipiendam esse sensu missionario.

Etiam Rev.mus Consultor instat ut de indole missionali Ecclesiae sermo fiat, et ut referatur ad Decr. *Ad gentes*.

Proponit Rev.mus Secretarius Ad. ut in duabus §§ sermo fiat de cura Evangelium nuntiandi 1° eis qui ordinaria cura pastorali frui non valent (Decr. *Christus Dominus*, n. 18) et 2° eis qui non iam sunt credentes. Proponit textum novi canonis, qui ita sonat:

« § 1. Curent sacri ministri, praesertim Episcopi et parochi, ut Dei verbum iis quoque nuntietur qui ob vitae suae conditionem communi et ordinaria cura pastorali non satis fruuntur aut eadem penitus carrent (referentia ad *Christus Dominus*, etc.).

§ 2. Provideant quoque ut Evangelii nuntium perveniat ad non credentes in territorio degentes, quippe quos, non secus ad fideles, animarum cura, quae spiritu missionali informetur oportet, complecti debeat ».

Conventus 6°

(die 27 ian. 1967, h. 9,30)

A Rev.mo Secretario Ad. leguntur textus canonum, qui membris coetus distribuntur.

Diversi canones « de catechetica institutione » ab omnibus approbantur.

Pro canonis « de verbi Dei praedicatione », proponit Rev.mus Secretarius Ad. ut ordo canonum aliquatenus mutetur, ut scilicet, post canonem in quo momentum praedicationis affirmatur, statim sequantur canones statuentes quinam praedicandi habeant facultatem et quinam eam conferre possint, ut postea de variis formis et de modo praedicandi agatur. Omnes cum hac propositione consentiunt.

Leguntur itaque canones « de verbi Dei praedicatione », qui etiam, paucis mutatis, approbantur. Textus habentur in *Appendice*.

Monet iterum Rev.mus Secretarius Ad., in textu proponendo, canones « de verbi Dei praedicatione » ponendos esse ante canones « de catechetica institutione ».

In fine sessionis, rogat Rev.mus Secretarius Ad. ut pro proxima sessione huius Coetus membra praeparare velint votum de recognoscenda legislatione « de scholis ». De missionibus etiam in eadem sessione tractandum erit, et rogatur Rev.mus quidam Consultor ut aliquod schema praeparet de missionibus seu de verbi Dei praedicatione, sed cum respectu ad missiones externas.

Votum exprimunt pleraque membra ut proxima sessio locum habeat mense octobris 1967.

Rev.mus Secretarius Ad. gratias omnibus membris agit de labore peracto et sessionem concludit.

N. PAVONI, *Actuarius*

APPENDIX

AD SENSUM EORUM QUAE IN CONVENTIBUS PRAECEDENTIBUS DICTA
SUNT CANONES C.I.C. 1322-1351 ITA PROPONUNTUR RECOGNOSCENDI

DE MAGISTERIO ECCLESIASTICO

TEXTUS CANONUM, ORDINE APPROBATO DISPOSITORUM

Can. 1322

§ 1. Christus Dominus fidei depositum Ecclesiae concredidit, ut ipsa, Spiritu Sancto iugiter assistente, doctrinam revelatam sancte custodiret et fideliter exponeret.

§ 2. Ecclesiae officium est et ius, independenter a qualibet humana potestate, omnes gentes evangelicam doctrinam docendi. Omnes homines, cum veritatem in iis quae sunt ad Deum Eiusque Ecclesiam respiciunt quaerere teneantur, veritatem evangelicam veramque Ecclesiam, quam cognoscant, lege divina amplecti ac servare obligantur (cfr. Conc. Vat. II, Declar. *Dignitatis humanae*, n. 1).

Can. 1322 bis

Ad amplectendam fidem catholicam a nemine umquam homines contra propriam conscientiam coactione adduci possunt (cfr. Conc. Vat. II, Declar. *Dignitatis humanae*, nn. 2, 4).

Can. 1323

§ 1. Fide divina et catholica ea omnia credenda sunt quae verbo Dei scripto vel tradito, tamquam uno fidei deposito Ecclesiae commisso, continentur quaeque ab Ecclesiae magisterio sive sollemni sive ordinario et universaliter divinitus revelata credenda proponuntur (cfr. Conc. Vat. II, Const. dogm. *Dei verbum*, n. 10, collato etiam n. 9).

§ 2. Magisterium sollemni modo exercetur tum ab Episcoporum Collegio in Concilio oecumenico, tum a Summo Pontifice ex cathedra loquente (cfr. Conc. Vat. II, Const. dogm. *Lumen gentium*, n. 22, et Nota praevia, n. 3).

§ 3. Declarata seu definita dogmatice res nulla intelligitur, nisi id manifeste constiterit.

Can. 1324

Cum eis quae ab Ecclesia tamquam de fide divina et catholica credendis fidei obsequio adhaerendum sit, tenentur omnes quascumque devitare doctrinas iisdem contrarias, immo et eas quae cum doctrina catholica non congruunt. Quare omnes debent etiam constitutiones et decreta servare quae ad proscribendas prohibendasque erroneas opiniones fert proprius Episcopus, speciali vero ratione quae edit Apostolica Sedes.

Can. 1325

Dicitur haeresis, pertinanx, post receptum baptismum, alicuius veritatis fide divina et catholica credendae denegatio aut de eadem dubitatio; apostasia, fidei christiana ex toto repudiatio; schisma, subiectio-
nis Summo Pontifici aut communicationis cum Ecclesiae membris eidem subditis detrectatio. Haeresis, apostasie aut schismatis rei non sunt nisi qui mala fide talia admiserint.

Can. 1325 bis

§ 1. Sedis Apostolicae imprimis est promovere et dirigere motum oecumenicum quem vocant, actiones et incepta ad christianam unitatem fovendam suscitando et ordinando. Conferentiarum Episcoporum item est eadem promovere, atque pro variis adjunctorum necessitatibus vel opportunitatibus normas practicas statuere.

§ 2. Publicae precatio-nes pro christianorum unitate inter catholicos, etiam cum non catholicis convenientes, foveantur, praesertim in quibusdam peculiaribus adjunctis, servatis normis ab Episcoporum Conferentiis statutis.

Can. 1326

Episcopi quoque, licet singuli vel etiam in Conciliis particularibus aut conferentiis congregati infallibilitate dicendi non polleant, fidelium tamen suis curis commissorum, sub auctoritate Romani Pontificis, veri fidei sunt doctores seu magistri.

TITULUS XX
DE DIVINI VERBI MINISTERIO

Can. 1327

§ 1. Inter praecipua Episcoporum munera eminent praedicatio Evangelii. Episcopi, sollicitudinis omnium Ecclesiarum participes, in communione et sub auctoritate Summi Pontificis, hoc magisterium exercent omnes uniti in Collegio seu corpore quoad universam Ecclesiam (cfr. Conc. Vat. II, Const. dogm. *Lumen gentium*, n. 25; Decr. *Christus Dominus*, n. 3).

§ 2. Pro universa Ecclesia munus christiani nominis propagandi singulari modo Romano Pontifici, Petri successori, demandatum est (cfr. Conc. Vat. II., Const. dogm. *Lumen gentium*, n. 23).

§ 3. Illud munus exercent Episcopi singuli, quoad assignatas sibi dominici gregis partes, unusquisque pro Ecclesia particulari sibi commissa, aut quandoque aliqui coniunctim necessitatibus quibusdam diversarum Ecclesiarum communibus providentes, ad normam sacrorum canonum (cfr. Conc. Vat. II, Decr. *Christus Dominus*, n. 3).

Can. 1328

§ 1. Episcopi officio Evangelium annuntiandi per se ipsi tenentur.

§ 2. Presbyteri, utpote Episcoporum cooperatores, primum habent officium Evangelium Dei annuntiandi; praesertim hoc officio tenentur, quoad gregem sibi commissum, parochi aliique quibus cura animarum concreditur. Diaconorum etiam est in diaconia verbi Populo Dei, in communione cum Episcopo eiusque presbyterio, inservire (cfr. Conc. Vat. II, Const. dogm. *Lumen gentium*, nn. 28, 29; Decr. *Christus Dominus*, n. 30; Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 4).

§ 3. In hoc munere adimplendo, Episcopi insuper in auxilium sibi assumere debent religiosos atque idoneos laicos, utriusque sexus, eos praesertim qui Institutis saecularibus sunt adscripti.

Can. 1329

Varia media ad doctrinam christianam annuntiandam adhibeant Episcopi in odierno tempore quae praesto sunt, imprimis praedicatio-

nem atque catecheticam institutionem, quae quidem semper principem locum tenent, sed et propositionem doctrinae in scholis, in academiis, conferentiis et coadunationibus omnis generis, necnon eiusdem diffusionem declarationibus publicis occasione quorundam eventuum factis, prelo variisque instrumentis communicationis socialis (cfr. Conc. Vat. II, Decr. *Christus Dominus*, n. 13).

Can. 1330

Nemini licet quodvis ministerium verbi Dei annuntiandi exercere, nisi a legitimo Superiore missionem receperit, sive facultate specialiter data, sive officio collato cui ex sacris canonibus hoc munus inhaereat.

CAPUT I
DE VERBI DEI PRAEDICATIONE

Can. 1331

Cum Dei populus primum coadunetur verbo Dei vivi, quod ex ore sacerdotum omnino fas est requirere, munus praedicationis magni habere debent Christi ministri, quippe quorum prius officium sit Evangelium Dei omnibus evangelizandi (cfr. Conc. Vat. II, Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 4).

Can. 1332

1. Episcopi, etiam titulares, ubique terrarum praedicandi habent facultatem, atque in omnibus ubique ecclesiis aut oratoriis, etiam exemptis, praedicare possunt, nisi loci Ordinarius in casibus particularibus id expresse renuerit.

2. Ordinarii loci, licet dignitate episcopali non sint insigniti, ius habent praedicandi in qualibet sui territorii ecclesia, quamvis exempta.

Can. 1333

§ 1. Solius Ordinarii loci est facultatem praedicandi pro suo territorio concedere aliis clericis, sive saecularibus sive religiosis, etiam exemptis, salvo praescripto § 2.

§ 2. Ad praedicandum in religione clericali coram religiosis

exemptis aliisve de quibus in can. 514 § 1, facultatem facit eorum Superior, ad normam Constitutionum, et quidem non tantum sodalibus propriae religionis, sed etiam clericis saecularibus et sodalibus alius religionis, dummodo tamen a proprio Ordinario aut Superiore idonei fuerint iudicati.

Can. 1334

§ 1. Qui ab Ordinario loci facultatem obtinuerint, praedicare non possunt ad sodales religionis laicalis exemptae sine eorundem Superioris licentia, nec ad moniales regularibus subiectas sine Superioris regularis assensu.

§ 2. Religiosi omnes praeterea, ut facultate recepta uti possint, indigent proprii Superioris licentia.

Can. 1335

Ordinarii locorum religiosis qui a proprio Superiore proponuntur, sine gravi causa facultatem praedicandi ne denegent, concessamque semel facultatem ne revocent.

Can. 1336

§ 1. Locorum Ordinarii aut Superiores religiosi competentes facultatem aut licentiam praedicandi ne concedant nisi illis qui sunt moribus probi et qui sufficienti doctrina gaudere probati sunt per examen ad normam can. 877 § 1. Concessam semel facultatem aut licentiam sine gravi causa ne revocent.

§ 2. Contra decretum quo revocatur facultas aut licentia praedicandi, datur recursus, sed non in suspensivo.

Can. 1337

§ 1. Episcoporum Conferentiarum est insuper normas statuere quibus definiuntur conditions et licentiae requisitae ut sacerdotes extra dioecesani, sive saeculares sive religiosi, a parochis aut ecclesiarum rectoribus invitari possint.

§ 2. In ecclesia paroeciali quae simul sit capitularis aut confraternitatis propria, invitationem facere, servatis praescriptis Episcoporum Conferentiae, ad parochum pertinet, nisi de functionibus agatur capitulo aut confraternitati propriis.

Can. 1338

§ 1. Facultatem praedicandi Ordinarii et Superiores religiosi concedant solis sacerdotibus aut diaconis, non vero ceteris clericis, nisi iusta de causa et in casibus singularibus.

§ 2. Praedicare in ecclesia vetantur laici omnes, etsi religiosi, nisi in casibus necessitatis, iuxta Episcoporum Conferentiae praescripta.

Can. 1339

§ 1. Inter praedicationis formas eminet homilia, quippe quae pars sit ipsius liturgiae; in eadem per anni liturgici cursum ex textu sacro fidei mysteria et normae christiana exponuntur (cfr. Conc. Vat. II, Const. *Sacrosanctum Concilium*, n. 52).

§ 2. In omnibus Missis diebus dominicis et festis de paecepto, quae in ecclesia aut oratorio publico vel semipublico, aut, servatis canonum praescriptis, sub dio, concurrente populo celebrantur, homilia habenda est nec omitti potest nisi gravi de causa (cfr. Conc. Vat. II, Const. *Sacrosanctum Concilium*, n. 52).

§ 3. Valde commendatur ut, si sufficiens detur populi concursus, homilia habeatur etiam in Missis quae infra hebdomadam, prasertim quae tempore adventus aut quadragesimae aut quae occasione sive alicuius festi sive rei luctuosae celebrantur.

§ 4. Parochi aut ecclesiae vel oratoris rectoris est curare ut haec praescripta religiose serventur.

Can. 1340

Episcoporum Conferentiarum est praeterea normas statuere de praedicationibus habendis tempore Quadragesimae vel Adventus, aut etiam aliis temporibus vel occasionibus, in quibus iuxta rerum adiuncta, id opportunum videatur.

Can. 1341

§ 1. Divini verbi paecones integrum Christi mysterium fidelibus proponant, illas nempe veritates quarum ignorantia ipsius Christi ignorantia est, itemque viam quae divinitus revelata est ad glorificationem Dei atque eo ipso ad beatitudinem aeternam consequendam (cfr. Conc. Vat. II, Decr. *Christus Dominus*, n. 12).

§ 2. Edoceant etiam fideles doctrinam quam Ecclesiae magistrum proponit de personae humanae dignitate et libertate, deque officiis quibus personae obstringuntur familiae atque obligationibus quae ad homines in societatibus coniunctos pertinent (cfr. Conc. Vat. II, Decr. *Christus Dominus*, n. 12).

§ 3. Ipsis ostendant quoque res terrestres et humana instituta secundum Dei consilium ad hominum salutem ordinari, ut res temporales, quibus arcte coniunguntur, illuminare et ordinare ita valeant ut secundum Christum iugiter fiant et crescant et sint in laudem Creatoris et Redemptoris (cfr. Conc. Vat. II, Decr. *Christus Dominus*, n. 12).

Can. 1342

Doctrinam christianam proponant modo auditorum conditioni accommodato atque ratione temporum necessitatibus aptata, simul curantes ut quaestionibus quibus maxime anguntur homines sui temporis respondeant atque in difficultatibus quibus premuntur superandis eos sustineant (cfr. Conc. Vat. II, Decr. *Christus Dominus*, n. 13).

Can. 1343

Parochi, etiam religiosi, certis temporibus, iuxta Episcoporum Conferentiarum praescripta, illas ordinant praedicationes, quas exercitia spiritualia missionesve vocant, quibus nempe integra christiana doctrina quantum possibile sit fidelibus exponatur.

Can. 1344

§ 1. Curent sacri ministri, praesertim Episcopi et parochi, ut Dei verbum iis quoque nuntietur qui ob vitae suaे condicionem communi et ordinaria cura pastorali non satis fruuntur aut eadem penitus carent (cfr. Conc. Vat. II, Decr. *Christus Dominus*, n. 18; Pius XII, Const. Ap. *Exsul Familia*, 1 aug. 1952: *AAS*, 44 [1952], p. 649 ss.).

§ 2. Provideant quoque ut Evangelii nuntium perveniat ad non credentes in territorio degentes, quippe quos, non secus ac fideles, animarum cura, quae semper spiritu missionali informetur oportet, complecti debeat.

CAPUT II
DE CATECHETICA INSTITUTIONE

Can. 1345

Proprium et gravissimum officium, pastorum praesertim animarum, est catechetam populi christiani curare institutionem, ut fidelium fides, per doctrinam illustrata, viva sit atque explicita et operosa (cfr. Conc. Vat. II, Decr. *Christus Dominus*, n. 14).

Can. 1346

Conferentiarum Episcoporum, votis suis cum Apostolica Sede communicatis, est pro suo cuiusque territorio normas in Directorio catechetico statuere fundamentales (praecipuas) ad catechetam puerorum, iuvenum atque adultorum institutionem ordinandam, itemque curare ut libri ad eandem institutionem spectantes rite elaborentur.

Can. 1347

Servatis normis ab Episcoporum Conferentia statutis, Episcopi diocesani insuper praescripta edicere tenentur, quae ad populum in doctrina christiana instituendum spectant. Quae quidem praescripta omnes servare obligantur, religiosi quoque, etiam exempti, quoties ad non exemptos docendos operam praestant.

Can. 1348

§ 1. Parochi, vi muneric sui, religiosam institutionem puerorum, iuvenum et adultorum curare tenentur, et in hoc munere explendo operam adhibere debent clericorum in paroecia degentium, imprimis presbyterorum et diaconorum, religiosorum atque etiam piorum laicorum, viorum ac mulierum, illorum potissimum qui alicui Instituto saeculari aut pio Doctrinae christiane sodalitio sunt adscripti (cfr. Conc. Vat. II, Const. dogm. *Lumen gentium*, n. 28, 29; Decr. *Christus Dominus*, n. 30).

§ 2. Presbyteri, diaconi aliqui clerci, nullo legitime impedimento detenti, proprio parocho in hoc sanctissimo opere auxilium praestare tenentur.

§ 3. Religiosi quoque, viri ac mulieres, itemque qui Instituto saeculari adscripti sunt, ad catecheticam institutionem populo tradendam

libenti animo cooperari debent. Superiores religiosi, etiam exempti, et rectores Institutorum saecularium, tenentur per se vel per suos subditos populo christiano catecheticam institutione tradere (cfr. Conc. Vat. II, Decr. *Christus Dominus*, n. 35, 1º).

§ 4. Alii etiam fideles, viri ac mulieres, sufficienti doctrina qui praediti sunt, libenter ad hanc institutionem curandam adiutricem operam praestent.

Can. 1349

Parentes, quippe qui praecipui filiorum sint educatores, itemque qui eorum locum tenet atque patrini obligatione tenentur curandi ut pueri sibi subiecti vel commendati catechetica institutione debite erudiantur (cfr. Conc. Vat. II, Declar. *Gravissimum educationis*, n. 3).

Can. 1350

Attentis normis ab Episcoporum Conferentia statutis, Episcopi dioecesani est de catechetica institutione tradenda:

1º normas statuere ut singulis annis pueri ad sacramenta poenitentiae et confirmationis suscipienda utque ad SS. Eucharistiam primo recipiendam rite praeparentur;

2º praescripta item statuere ut iuvenes qui primam Communionem receperint uberius ac perfectius in doctrina christiana excolantur;

3º normas etiam edere ut, ratione eorum condicioni accommodata, provideatur catecheticae institutioni adultorum, et in specie ut qui nuptias ineundas intendant in doctrina de matrimonii sanctitate deque coniugum et parentum obligationibus debite erudiantur.

Can. 1351

Institutio catechetica innitatur oportet S. Scriptura, Traditione, Liturgia, Magisterio vitaque Ecclesiae, et tradatur omnibus adhibitis auxiliis, subsidiis didacticis et communicationis mediis, quae efficaciora vindentur ut fideles, ratione eorum indoli, facultatibus et aetati necnon vitae condicionibus aptata, plenius religionis doctrinam ediscere eamque aptius in praxim deducere valeant (cfr. Conc. Vat. II, Decr. *Christus Dominus*, n. 14).

Can. 1352

Curent locorum Ordinarii ut qui ad catecheticam institutionem tradendam mittantur, ad munus suum rite explendum debite praeparentur, ut nempe Ecclesiae doctrinam apte cognoscant atque normas scientiae psychologicae et disciplinis paedagogicis proprias theoretice ac practice addiscant (cfr. Conc. Vat. II, Decr. *Christus Dominus*, n. 14).